

157.

Schiffen.

his.





V

0011

(alt Nr. 393.)

Sammelband von 57 Schriften theol.,  
philos. u. jurist. Inhalts.  
von Meier, J. Th.

P. VII. 89.





Disputatio Philosophica

110

DE  
INVITO ET  
SPONTANEO

QUAM  
D. O. M. A.

Præfide

ANDREA FRÖLINGIO

PHIL. MAG. ET LOGICES PRO-  
FESS. ORDINARIO

PRÆCEPTORE ÆTERNUM VENERANDO  
IN JULEO MAGNO

AD DIEM XII. JANUARIJ,  
PUBLICO EXAMINI  
SUBJICIET

JULIUS ANDREAS GÜNTHER

SCHONINGENSIS.

AUTOR ET RESPOND.



HELMESTADII,  
Typis Jacobi Mülleri.

ANNO MDCCCLXXVII.



V I R I S

PERQVAM REVERENDIS, GENEROSIS,  
MAXIME STRENVIS, NOBILISSIMIS, AM-  
PLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS,  
PRUDENTISSIMIS,

Ærarii provincialis rationibus Præ-  
fectis in Ducatu Guelpherbytano  
omnibus ac singulis,


*Dominis Patronis ac Fautoribus suis devoto ani-  
mi cultu prosequendis,*

Hasce studiorum suorum primitias ob-  
servantiæ suæ testandæ, Illorumq; be-  
nevolentæ sibi conciliandæ ergo

*Offert & dedicat*

JULIUS ANDREAS GÜNTHER.





I.



E principiis actionum humanarum doctrina præ cæteris Philosophiæ moralis partibus cum insigniter difficilis est, tum adeo præclara & frugifera, ut vix ulla alia ei præferenda esse videatur. Neque vero absque accurata ejus cognitione rectum de actionibus factisque hominum judicium sive privatim sive publice ferri potest: cum plurimum interfit, sponte an invite, deliberato consilio an casu aut subito animi impetu aliquid commissum credatur. Unde non sine causa quis existimaverit, in eadem totius vitæ civilis & prudenter instituendæ, & scienter dijudicandæ cardinem versari. Me sane hæc momenta permoverunt, ut Specimen aliquod studiorum Academicorum editurus partem aliquam ejus, de Spontaneo videlicet ejusque opposito Invito, tractandam, & commilitonibus meis pro more examinandam selegerim, licet non ignorarem, eandem jam tum perquam multos occupatos habuisse.

II.

Quod igitur attinet Invitum, à cuius tanquam notioris explicatione, ex methodi præscripto, auspiciis merito facimus, non est sane allata ab Aristotele generalis aliqua ejus definitio, sed potius enumeratio inferiorum,

A 2

horum-



horumque deinceps secuta specialis declaratio instituta: quemadmodum scilicet fieri solet ac debet, quando *communem specierum rationem invenire non facile valeamus*, ceu Græcus Scholiastes Eustratius etiam hoc loco notavit: licebit tamen fortassis aliquid commune assignare, in quo omnia invita convenient, quodque proxime faciat, ut invite quippiam factum susceptumque esse videatur: in eo nimiram positum, ut aliquid appetitui repugnet, fiatque contra animi inclinationem & internum impetum voluntatis.

### III.

Hoc vero ipsum non uno eodemque modo in actionibus sese habere deprehenditur. Aliquando enim appetitus in ipsa actione aperte & ipso actu refragatur: aliquando autem manifesto quidem non repugnat ei, quod agitur, sed tacite quasi, & ut ita loquamur, potentia tantum, quoniam ille, si hoc sub iis circumstantiis atque eo modo, quo revera est, à potentia cognoscente apprehensum & propositum fuisset, idem omnino renuisset, & minime exerceri voluisset: quod postea per subsequentem poenitentiam ac dolorem sese exserit ac prodit. Hinc igitur invitum diversa genera oriuntur. Si enim prius contigerit, est Invitum per vim seu Violentum: si posterius, Invitum per ignorantiam dici consuevit.

### IV.

Cæterum ut utriusque naturam penitus inspicere possimus, definitiones Aristotelis ex L. III. Nicom. adferemus & singulatim considerabimus: Est igitur invitum per vim seu violentum, *cujus principium extra est, atque ejusmodi, ut nihil adjumenti afferat is, qui agit, aut qui patitur.* Primo autem hinc patet, duo requiri ad violentum, (1.) Ut principium movens sit extrinsecum (2.)

ut



ut ille, qui per vim aliquid agit, aut patitur, nihil afferat  
adjumenti. Circa utrumque nonnulla diligenter sunt  
consideranda. Circa prius dispiciendum primo est,  
quid & cuius respectu principium extrinsecum dica-  
tur. Etsi autem sæpius contingat, ut principium violen-  
tæ alicujus actionis sit extra id, cui vis infertur, etiam ra-  
tione subjecti, id tamen perpetuum non est: ut si quis in  
scalis constitutus iisdem subito fractis aut subtractis deci-  
dat, & capite lapidi alliso vulneretur, invitum certe id  
omne est, & quidem per violentiam; principium tamen  
motus est in ipso homine, gravitas videlicet corporis, quæ  
in causa est, quod homo remoto fulcro deorsum cadit:  
unde promptum est colligere, rationem extrinseci alibi, &  
alius cujuscumque rei intuitu, quærendam esse, quæ non po-  
test esse alia, quam appetitus nostri inclinatio & impetus  
internus. Extra hunc igitur oportet esse illud principium;  
atque adeo in genere absentia illius per hanc vocem deno-  
tari videtur: ut sensus sit, violentæ actionis principium  
non esse appetitum seu voluntatem agentis, sed aliud  
quodcunque, sive jam in ipso agente, ut subjecto, reperia-  
tur, sive extra illud existat.

V.

Cæterum antequam progrediamur, dubium aliquod,  
occasione exempli paulo ante allati ortum, est removen-  
dum. Nimirum inter invita per vim retulimus, si quis  
fracta subter se scalâ, aut alio fulcro remoto, deorsum ca-  
dat ob gravitatem corporis præponderantem: jam vero  
uti gravitas corpori naturalis est, sic etiam motus inde  
proveniens est naturalis: naturale autem non est violen-  
tum: alterum enim alteri est oppositum. Ut rectius solvi  
possit dubium, sciendum, Violentum non uno modo  
eodemque respectu semper accipi. Interdum enim oppo-  
nitur naturali, interdum ei quod sponte fit. Jam prior

A ;

acceptio





acceptio hic non attenditur, sed posterior. Unde contingere potest, unum eundemque motum esse violentum, & non esse violentum, pro diverso respectu, & prout diversis opponitur. Motus igitur, de quo nobis sermo, violentus est, uti opponitur spontaneo; non est violentus, uti opponitur naturali. Sed potest etiam sic dici: Violentum inter alia hoc importat, ut inclinationi alicujus repugnet. Jam vero inclinatio non est uniusmodi: alia est absque prævia cognitione, alia est ex antecedente cognitione. Neque absurdum est, quemadmodum diversæ illæ inclinationes in uno eodemque subjecto pro diverso respectu reperiuntur, sic eas nonnunquam sibi invicem adversari. Unde fit, ut aliquis motus illi quidem inclinationi sit adversus, huic autem subsequens & accommodatus. Igitur in homine cum diversæ tales inclinationes & ὁρμαὶ reperiuntur, nihil mirum est, posse ab eodem motus quosdam proficisci, qui huic quidem inclinationi repugnent, eoque respectu sint violenti, illi autem non repugnent, sed potius conveniant, atque hoc pacto non sint violenti. Et talis motus est, de quo nos dubitamus. Nempe violentus, quatenus est contra appetitum ad præviam cognitionem elici solitum: non violentus sed naturalis, quatenus naturam & inclinationem corporis gravis consequitur.

VI.

Nunc ad definitionem revertentibus occurrit alterum requisitum ad invitum per vim pertinens: quod his verbis exprimitur: *Ut nihil adjuventi adferat is, qui agit, aut qui patitur.* Quemadmodum autem in priore conditione respectus haberi debebat non ad rem quamcunque, sed ad appetitum sive voluntatem, cujus intuitu principium extrinsecum dicitur: sic hæc etiam conditio non nimis late extendi, verum itidem accipi debet in ordine ad appetitum seu voluntatem; ut nimirum hæc actionem vel



vel motum nec velit, nec amplectatur: imo vero fugiat & aversetur, & quantum fieri potest, repugnet ne exerceatur. Atque hoc est, quod nonnulli docent, non sufficere ad invitum per vim, ut voluntas se habeat negative, sed requiri, ut se habeat contrariè, id est, ut non tantum non velit motum, sed etiam nolit, reluctetur, & quantum in se est, membra corporis aliasque facultates, quibus imperare ipsa potest, cohibeat, adeoque omnibus modis impedire conetur, ne actio vel motus edatur. Alias enim, licet externum agens vim intentans adsit, si tamen voluntas consentiat, aut aliquid fieri non illibenter permittat, violentum aut invitum propter vim proprie non erit. Cujusmodi quid foret, si quis sciens & volens, aut saltem consentiens vel non repugnans, cum repugnare & vim amoliri posset, ab aliis aliquo gestetur, quo fortassis, etiamsi absque hoc esset, lubenti animo iret.

#### VII.

Esse vero ita, ut diximus, exponendam illam conditionem, & certis limitibus adjumentum restringendum, vel ex eo patet, quia alias pugnancia in unam definitionem essent ab Aristotele compacta. Quis enim dici potest, agere aliquid aut pati, qui nihil omnino adjumenti ulla ratione ad id confert? Sane etiam is, qui tantum patitur, eo ipso dum patitur & recipit aliquid, non potest dici, nihil penitus ad passionem conferre. Estque res in exemplis satis manifesta: Si v. g. manus alicujus, ipso nolente & repugnante, à robustiore arrepta ad alium verberandum adhibeatur, actus ille verberandi invitus utique est propter vim factam, respectu ejus, cujus est manus, non tamen nihil & ipsum ad actum verberandi contulisse, dubio caret: quanquam non sit tale, ad quod hic respici solet & debet. Non incommoda est ad hanc rem

ex-



expediendam distinctio, quã nonnulli hic utuntur inter principium seu causam principalem & instrumentalem seu instrumentum. Dicunt autem, eum, cui aliquid inviti propter vim accidat, posse quidem aliquid conferre tanquam instrumentum seu ut causam instrumentalem, non debere autem concurrere tanquam causam principalem.

### VIII.

Denique consideratione quoque dignum est, quod Aristoteles id, quod nihil adjumenti conferre debet ad violentum, appellat agens vel patiens. Nimirum hinc intelligitur, interdum contingere, ut cui vis infertur, nihil proprie agat, sed tantum patiatur: ut si quis vehementi vento abreptus sublimis aliquo deferatur: interdum autem fieri, ut non pati tantum sed & agere videatur. V. g. si quis à vento impulsus loco declivi procurrat, nec, quamvis maxime velit & conetur, gradum sistere possit. Sunt, inquit Eustratius Comm. in h. l. pag. 151. qui male hanc particulam, qui agit, additam fuisse opinentur. Nam si violentum aliquid eveniat, neque ad id quidpiam conferat is, cui id evenit, pati non agere omnino dicitur. Si, ut inquit, (Aristoteles) aut ventus aliquo, aut homines qui potestatem habeant, aliquem detulerit. Deferri siquidem & verberari pati est, non autem facere. At vero agere etiam violenter aliquis potest, si ab alio videlicet impulsus alium ipse protrudat ac sternat invitus. Sed adscribere quoque juvat Donati Acciajoli super hac re verba ex Comm. in lib. 3. cap. 1. pag. 186. quæ ita habent: Duobus nominibus appellat (Aristoteles) illum, qui movetur violenter. Agens enim & patiens eadem persona diversis respectibus esse potest. Nam ea ratione, qua suscipit vim, dicitur patiens, scilicet, in quantum compellitur; in quantum vero compulsus agit aliquid aliud,  
ut



ut si quis baculum habens in manu coactus à potentiore percutiat alium, aget illud, & dicitur agens respectu illius, quod agit, licet invitus. Itaque eâ ratione, qua suscipit in se vim, dicitur patiens: eâ vero ratione, qua compulsus agit aliquid aliud, dicitur agens.

IX.

Etsi vero hæc non incommode dicta videntur, & vulgaris loquendi consuetudo, cui Philosophus se accommodavit, etiam vim passio actionem nonnunquam tribuit, forte tamen valde improprie id fit, quoniam, si quæ actio editur, in principale agens externum, quod scilicet membrum aut corpus alterius movet atque impellit, referri potius debet, quam in id, quod tantum ut instrumentum seu agens instrumentale concurrat. Sic si manus mea, me repugnante, ad verberandum alterum adhibeatur, agit quidem aliquid manus mea, non autem, ut causa principalis, sed ut instrumentalis: & quia manus mea est, ipse quoque agere dicor, quanquam sic satis improprie. Licet enim mea sit manus, ad hanc tamen actionem à me non movetur, aut impellitur, sed à principio externo. Cui proinde, non mihi, actio, quæ manus meæ interventu editur, tanquam causæ imputari debet. Ego enim, dum per vim mea manus à principio externo impellitur, & ab eodem ad actionem adhibetur, vim & impetum ejus recipio, quod non est agere, sed pati. Quo fortassis & ipse Philosophus respexit, cum doctrinam de Invito per vim concludens sic scribit 3. Eth. cap. 1. fin. Ε'οικε δὴ τὸ βίαιον εἶναι, ὃ ἔξωθεν ἢ ἀρχῇ, μηδὲν συμβαλλομένῳ ὃ βιάδενται. Videtur igitur vi factum illud esse, cujus principium extra est, cuius, cui vis affertur, nihil sua opera conferat.

X.

Sic igitur se habet invitum ex vi obortum. Est de-

B

inde



inde aliud inviti genus, quod ex ignorantia proficiscitur, cujus rationem ut recte percipiamus, ignorantia varietas ante explicanda est, cum ea multiplex admodum sit, nec omnis tamen ita comparata, ut actionem invitam reddat. Primo igitur ignorantia alia importat nudam cognitionis absentiam, quæ ἀγνοια κατ' ἀπόρασιν h. e. puræ negationis vocari solet: alia ἀγνοια κατ' ἀνάθεσιν h. e. pravæ dispositionis vocata, absentiam dicit non omnis sed veræ cognitionis, secundum quam scilicet aliter rem se habere quispiam judicat, atque revera est, quæque adeo cum positivo aliquo judicio, sed erroneo, est conjuncta.

XI.

Porro variat ignorantia vel ratione principii sive ortus; vel ratione objecti seu rei circa quam opposita cognitio versatur, aut versari debebat; vel denique ratione affectus, qui actionem ex ignorantia profectam consequitur. Ignorantia ratione ortus spectata vel talis est, ut principium ejus sit in ipso ignorante, & quidem hujus culpa, quamque adeo habere & non habere in ipsius potestate situm erat. Qualia principia sunt, vitium, ebrietas, nimius animi affectus, crassa & supina negligentia. Talia enim si in nobis sint, nostra culpa insunt, cum in nostra potestate sitū esset iisdem, atque adeo deinceps eo, quod inde proficiscitur, carere. Vnde & talis ignorantia Vincibilis solet appellari, utpote quam quis, si recte sese gerere voluisset, facile cavere potuisset; nec non ignorantia voluntatem consequens, cum voluntaria censeatur saltem indirectè, quoniam illa, unde ea orta est, & ex quibus eam orituram sciri potuit, ignorans voluit, saltem sponte admisit: Jam qui voluit principium seu causam ignorantia, ipsam ignorantiam voluisse videtur. Deinde alia ignorantia ratione ortus est, cujus principium non est  
in



in nobis, aut ubicunque sit, nostra culpa non existit. V. g. si quid vir bonus ac prudens ignoret, qui videlicet non tantum à vitiis, ebrietate ac nimio affectu immunis est, verum etiam, quoad fieri potest, operam & circumspeditionem adhibet, ne quid eorum se lateat, in quibus actio versatur, vix dubitari debet, quin ex principio quodam externo, & plerumque ex sensuum errore moraliter inevitabili, ignorantia isthæc oriatur. Quæ proinde ignorantia Invincibilis, nec non voluntatem antecedens appellari consuevit.

## XII.

Deinde etiam ratione objecti seu rei ignoratæ ignorantia multis modis est diversa, uti egregie docuit Philosophus III. Nic. c. II. cuius proinde vestigia legemus. Interdum igitur ignoratur τὸ καθόλου h. e. *universale*; interdum τὸ συμφέρον h. e. *quod conducit*, interdum eorum aliquid, quæ τὰ καθ' ἕκαστα ἐν ὅῃς καὶ τὰ εἰς ἢ πρὸς τὴν, dicuntur. Atque ut singulorum ratio plenius innotescat, quod primo attinet *Universale*, videtur per id nihil aliud significari, quã actio moralis in genere considerata, quatenus per exercitium ad has vel illas circumstantiarum differentias nondum est restricta, V. g. furtum, rapina, homicidium. Id autem ignorare dicitur, non qui ejus nullam habet cognitionem, sed qui de eo ratione bonitatis & malitiæ, atque hinc proficiscentis vel prosecutionis vel fugæ perversè judicat; V. g. si quis furtum existimet esse bonum & prosequendum, aut potius ignoret, turpe id esse ac fugiendum, τὸ καθόλου ignorare dicetur.

## XIII

Τὸ συμφέρον h. e. *id quod expedit seu conducit*, vocatur id, quod cum alio comparatum eidem præfertur, ideo quod magis conducere putatur. Hoc itaque dicitur igno-





rare, qui è duobus id eligit & alteri præfert, quod malum est: aut minori malo rejecto id eligit, quod est pejus. Unde alias ἢ ἐν τῇ προαίρεσει ἀγνοία dicitur. Patet autem hanc quoque ignorantiam non mera notitiæ privatione absolvi, sed falsum & erroneum iudicium conjunctum habere.

XIV.

Per τὰ κατ' ἐνάχα ἐν οἷς καὶ αἰ δ' ἢ περὶ τῆς h. e. *singula in quibus & circa qua actio versatur*, intelliguntur ea, quæ vulgo circumstantiæ actionum dicuntur, hoc ordine ac numero à Philosopho recensitæ. Τίς, τί, αἰ, τί ἢ ἐν τίνι, τίνι, ἐνεκα τίνος, καὶ πῶς h. e. *Quis, quid, circa quid vel in quo, quo, cuius gratia & quomodo*. Τίς *Quis* denotat personam agentem, seu qualitatem & conditionem ejus, puta vel ætatem, vel sexum, vel vitæ genus, vel munus quo fungitur, vel simile quiddam: ista enim omnia ac singula actionem haud parum variare possunt. Τί *Quid*, significare videtur genus actionis, seu ut quis sciat, vel ignoret, quid agat, seu, se hoc vel illud agere, quemadmodum ebrui sæpius quid agant, ignorant; aut si quis arcana quæ talia habenda esse ignoret, in vulgus proferret. Porro dicitur apud Aristotelem αἰ τί ἢ ἐν τίνι h. e. *circa quid & in quo*: quæ verba nonnulli conjungunt, iisdemque objectum seu materiam actionis designari putant. Sed vero videtur similis, si dicamus αἰ τί ad objectum pertinere, ἐν τίνι autem locum & tempus comprehendere. Cum enim hæ circumstantiæ ad actionis variationem & moralitatem nonnunquam multum conferre possint, eas prorsus omissas esse à Philosopho existimandum non est: non tamen alia quam dicta voce commodius significantur. Τίνι *Quo* denotat instrumentum, quod in re aliqua efficienda varium ac diversæ conditionis esse potest. Ἐνεκα τίνος *Cuius*



*Cujus gratia*, notat finem qui actionem consequitur. Denique τὸ πῶς *Quomodo* modum & varias actionis conditiones designat, V. g. utrum quis leviter an vehementer aliquem percusserit. Hæc sunt illa singularia seu circumstantiæ, quarum alia atque alia ratio actionem ejusque malitiam aut bonitatem insigniter variare potest.

XV.

Præterea constitui solet ignorantia quædam Juris ejusque vel naturalis vel legitimi seu positivi, quæ nimirum membra omnem juris latitudinem exhaustire supponitur: Quædam vero facti, quod est particulare aliquid quod cum factum sit, factum tamen esse ignoratur, sive omnino, sive certæ alicujus circumstantiæ respectu. Sunt autem hæc ignorantia species ab antecedentibus non multum diversæ, & fortassis absque incommodo ad istas reduci aut sub iis comprehensæ existimari possunt. Atque hæc sunt, quorum respectu ignorantia in agendo oritur, non unius tamen sed longe diversæ rationis. Nam quemadmodum à diversitate principii, ex quo ignorantia contrahitur, alia est vincibilis alia invincibilis; sic etiã ex diversitate objectorum talis differentia provenit. Et vincibilis quidem habetur, quando cunque aut universale aut expediens, aut jus quod sciri poterat, et debebat, aut aliqua circumstantia cognitu facilis ignoratur; Invincibilis vero, quæ circa aliquam circumstantiam versatur, sic tamen ut alia quoque momenta respondeant. Atque sic se habet varietas ignorantia ratione objectorum.

XVI.

Denique Ignorantia etiam variat ratione affectus, qui eandem, sive potius actionem, cum qua ignorantia fuerit conjuncta, errore deprehenso, consequitur, estque vel approbatio & voluptas, vel pœnitentia & dolor. Interdum scilicet contingit, ut postquam aliquid egimus igno-

B<sub>3</sub>

rantes



rantes hoc aut illo modo nos agere, dum agebamus, rem-  
que totam, uti gesta est, remotis impedimentis plene co-  
gnovimus; summopere contristemur, remq; infectam ve-  
hementer cupiamus, adeo quidem, ut si, antequam age-  
remus, ita nobis innotuisset, actio à nobis nullo modo sus-  
cepta fuisset. Interdum vero sic afficimur, ut non tan-  
tum nullum ex re peracta dolorem capiamus, sed ita,  
quamvis præter opinionem & intentionē nostram, evenis-  
se gaudeamus. Ex quo diverso eventu actionis ab igno-  
rante profectæ ignorantia alia ἐπίλυπⓄ alia ἀλυπⓄ no-  
minatur.

### XVII.

Tot igitur saltim pro instituti nostri ratione  
dantur ignorantia discrimina, quibus prænotatis distin-  
ctius & rectius cum dici tum intelligi poterit, quænam i-  
gnorantia invitam reddat actionem, quæ minus, atque a-  
deo ubi & quousque veniæ locus aliquis aut nullus sit re-  
lictus. Prima igitur assertio hæc esto: Ignorantia vinci-  
bilis circa quodcunque objectum, quocunque etiam even-  
tu, sive ἀλυπⓄ sive ἐπίλυπⓄ fuerit, actionem invitam  
non facit. Cujus ratio est, quod talis ignorantia non sit  
penitus contra inclinationem appetitus sive voluntatis  
in agente, sed ab eadem saltem indirecte intenta. Quic-  
quid enim aliquis potest & debet nosse, id si ignoret, vo-  
lens ignorare censetur. Sic, ut exempla addamus, si  
quis ob habitū vitii aut insignem ebrietatem nimiumve af-  
fectum corrupte judicet de rebus persequendis & fugiendis,  
illudque erroneum iudicium secutus ea agat, quæ agenda  
non sunt; non certe invitus egisse existimatur, neque cul-  
pæ expers est, quod ipse ignorantia fuerit causa, talia spon-  
te sectando, ex quibus illam consequi nosse poterat & de-  
bebat. Elegantia in hanc rem sunt B. Horneii verba,  
quæ



quæ proinde adscribemus. *Qui ignorare voluit, inquit is, aut ignorantiam, cum posset, animo non expulit, ei & per illam agere placuit, quod scientia, quam acquirere noluit, aut qua, si habebat, non utitur, impedire poterat. Hac conditio ignorantia est in omnibus malis: cum enim sponte sua vitia contrahant, ultro etiam ipsi sibi ignorantiam praeceptorum virtutis accersunt, quam vitia secum trahunt. Et quamvis, ubi semel animi oculum cæno nequitia immerferunt, recte de rebus judicare amplius, etiam cum volunt, non possint: tamen neque hoc involuntarium plane est, quia ob longam peccandi consuetudinem ejus rei ipsi sibi autores exstiterunt.* Philos. Mor. lib. 3. cap. 4. num. 6.

### XIIX.

Deinde sic pronunciamus: Ignorantia particularium sive alicujus circumstantiæ, quantumvis sit invincibilis, non tamen ἄνελυπτον h. e. si post actionem errore deprehenso non sequatur dolor & pœnitentia, sed potius consensus & lætitia, actionem non reddit invitam. Cum enim, uti supra præstruximus, omne invitum contra animi inclinationem esse debeat, atque adeo non possit non displicere & dolorem adferre, certe consequitur, actionem, quæ voluptati potius est quam dolori, in invitis neutiquam numerandam esse. Sic si quis aprum se occidisse existimans postea deprehendat hostem suum in insidiis latitantem se transfixisse, atque super ea re gaudeat, non est actio invita. An autem ea propter spontanea dici debeat, infra considerabitur.

### XIX.

Denique sic dicimus: Ignorantia particularium seu alicujus circumstantiæ invincibilis & ἄνελυπτον actionem reddit invitam, facitque ut agens excusationem & veniam consequatur. Sed Philosophum quoque super hac re  
audire



audire juvat, cujus lib. III. Nicom. c. 2. hæc sunt verba:  
*Actum ab invito dici debet, non si quis, quod expediat, nesciat;  
non enim ea inscientia, quæ in consilio versatur, causa est, cur  
id quod agitur, actum esse invite dicatur, sed improbitatis: ne-  
que rerum universalium inscientia, quoniam hæc vitio datur:  
sed rerum singularium, in quibus omnis actio versatur. In  
his enim venia & misericordia locum habent: & qui harum  
aliquam ignorat, invitus agit. Ut iis, qui aliquid arcani e-  
nunciant, ajunt sibi ex ore excidisse, aut se nescivisse, res esse  
tacendas, ac reconditas, ut Æschylus mysteria: aut cum osten-  
dere vellet quispiam, de manibus amisit, ut is qui eatapultam.  
Fieri autem potest, ut aliquis etiam filium hostem esse existi-  
met, ut Merope: & hastam sphaera in modum esse obtusam,  
quæ mucronem habeat acutum: aut lapidem esse pumicem: &  
ut interficiat, qui salutis causa verberabat: & ut pulset is, qui  
ostendere aut pungere volebat, ut pugiles, qui summis manibus  
dimicant. Cæterum diligenter hic notandum, inviti ra-  
tionem ulterius extendendam non esse, quam quod  
attinet circumstantiam, quæ ignorabatur, & ob quam a-  
ctio displicet, quæque, si nota fuisset, actionem impedivis-  
set. Sic Oedypus, quoniam ignorabat, nec scire poterat,  
patrem suum esse, quem obtruncabat, atque insuper, post-  
quam hoc rescivisset, magno dolore afficiebatur, parricidi-  
um invitus commisit, & ab ejus culpa fuit immunis: nec  
tamen ab homicidio excusari potuit, utpote cujus circum-  
stantias omnes noverat, quodque directè intendebat. Ad  
eundem modum Judas, quum Thamar nurum suam igno-  
rans compressisset, uti legimus Gen. xxxviii, ab incestu qui-  
dem excusabatur, non tamen à fornicatione: quia singula,  
quibus ea actio absolvitur, ipsi cognita fuerunt. Hinc igitur  
jam patet, tunc actionem ex ignorantia invitam esse,  
quando ejus, quod agitur, aliqua circumstantia ignoratur,  
sic*



sic tamen ut agens ejus ignorantia causa non sit, & dolore  
afficiatur.

XX.

Invito Spontaneum opponitur, cujus natura facilius  
nunc intelligitur, cum oppositorum sint oppositæ ratio-  
nes, adeoque se mutuo explicent atque illustrent. Est  
itaque Spontaneum, ceu jam tum definivit Philosophus  
lib. III. Nicom. c. 3. id *cujus principium est in agente, cogno-  
scente singula, in quibus actio consistit.* Cum enim osten-  
sum jam sit, invite aliquid fieri duplici de causa, vel propter  
principium externum actionis, seu per vim, vel propter i-  
gnorantiam, planè consequitur, ad Spontaneum, seu id  
quod sponte fit, & principium internum & scientiam seu co-  
gnitionem requiri. Per hoc scilicet, quod requiritur  
principium internum, seu quod sit in ipso agente, exclu-  
ditur invito per vim, cujus principium est extrinsecum:  
per necessariam scientiam seu cognitionem spontaneum  
ab invito per ignorantiam separatur. Quemadmodum  
autem supra demonstratum est, principium externū id esse,  
quod movet contra animi nostri inclinationem, non con-  
sentiente, imo repugnante appetitu nostro, sic contra per  
principium internum præcipue & principaliter appetitus  
intelligi debet. Etsi enim scientia seu cognitio itidem prin-  
cipium actionis recte dicitur, dirigendo videlicet appeti-  
tum, eidemque bonitatem vel malitiam objecti proponen-  
do atque ostendendo: sit etiam principium intrinsecum  
seu internum, quia subjecto, quod agit, æque inest atque  
appetitus: attamen, ut iterum nostra faciamus quædam  
B. Horneii verba ex Phil. Mor. lib. III. cap. 4. n. 9. *Sicut in-  
tellectus causa actionum non est, nisi interveniente appetitu,  
ita nec scientia principium est, nisi mediante appetitus incli-  
natione. Quare fit, ut inclinatio illa appetitus κατ' ἐξοχὴν hic*  
C *prim-*



*principium vocetur.* Quanquam, si rem rectè expendamus, neutrum illorum per se & seorsim sumptum, sed ambo conjuncta spontaneæ actionis completum principium sint & dici mereantur.

XXI.

Cæterum quod cognitionem attinet, porro notandum, duplicem eam esse. Una consistit in simpliciei apprehensione, qua actio secundum circumstantias, in quibus versatur, simpliciter absque dijudicatione apprehenditur. Altera post simplicem apprehensionem iudicium addit, quo actio secundum circumstantias apprehensa, num bona an mala sit, aestimatur & dijudicatur. Utraque autem ad spontaneam actionem requiritur, sed non uno eodemque modo. Nam priorem quidem illam omni ex parte recte sese habere oportet, ut ne scilicet ulla circumstantia, quæ alicujus momenti sit, ignoretur aut non recte apprehendatur. Alteram vero ita comparatam esse necessarium non est; etiamsi enim falsa atque erronea sit, id tamen non obstat, quo minus actio spontanea maneat, modo circumstantiarum sufficiens apprehensio & notitia adsit. Ubi id haud perfunctoriè notari meretur, non esse simpliciter necessarium ad spontaneam actionem, ut agens omnes, etiam minimas, circumstantias exploratas habeat: quædam enim interdum prorsus indifferentes sunt, & vel parum vel nihil ad actionis moralitatem conferunt, quæ proinde etiam hic attendi non debent.

XXII.

Non neglexit hoc ipsum monere Philosophus cum lib. III. Nicom. c. 2. ita scriptum reliquit: Περὶ πάντα δὴ ταῦτα τῆς ἀγνοίας ἕστις, ἐν οἷς ἡ πρᾶξις, ὁ τῶν πρὸς ἀγνοίας αἰκῶν δοκεῖ πεπεραχέναι, καὶ μάλιστα ἐν τοῖς κλειωτάτοις. Κλειωτάτα δ' εἶναι δοκεῖ, ἐν οἷς ἡ πρᾶξις καὶ ἔνεκα. *Cum in omnibus*





*bus igitur his, in quibus est actio, ignorantia contingat, fit, ut qui aliquid ex his ignoraverit, invitus egisse videatur; atque id in præcipuis maxime. Præcipua autem esse ea videntur, in quibus ipsa actio est, & id cuius causa quidpiam fit. Liquet hinc, Inviti rationem potissimum dependere ex ignoratione præcipuarum circumstantiarum. Unde porro consequi videtur, fieri posse, ut aliquâ circumstantia ignoratâ, non sit tamen actio invita, sed sponte suscepta existimari debeat. Simul etiam intelligimus, quænam præcipuæ seu principatum obtinentes circumstantiæ à Philosopho censeantur. Appellantur autem ab eo τὰ κρείωτατα, dicunturq; esse hæc: ἐν οἷς ἡ πρᾶξις ἔχει τὸ τέλος h. e. in quibus actio est & cuius gratia. Quibus verbis multi interpretes objectum & finem indicari existimant: utpote quæ ab actione abesse non possunt. De fine res est manifesta. An vero per illa verba, ἐν οἷς ἡ πρᾶξις h. e. in quibus actio consistit, objectum tantum designare voluerit Aristoteles, dubio non caret. Sane ipso illo capite, ex quo ea sunt depromta, idem iisdem latius & generalius usus est, cum circumstantias generatim complectendo appellavit: τὰ κατ' ἐνάστα, ἐν οἷς ἡ πρᾶξις ἔχει τὸ τέλος h. e. singularia in quibus & circa qua est actio. Imo vero hinc elici posse videtur, per illa verba, ἐν οἷς ἡ πρᾶξις primario non denotari objectum, cum eo potius spectent, quæ statim sequuntur, & hæc sunt; τὰ κατ' ἐνάστα. Et vero si, uti patet, in res ipsas & ea quæ fiunt, animum intendamus, obscurum esse non potest, præter finem & objectum nonnunquam alias quoque circumstantias dari, quæ quarundam actionum respectu haud minoris sunt momenti: uti sunt v. g. illæ, sine quarum interventu propositus finis obtineri nequit, quæque adeo ad illarum naturam & essentiam requiruntur. Ut proinde non abs re esse videatur,*





tur, omnes illas circumstantias, quæ ad naturam & essentiam alicujus actionis requiruntur, quæque eandem insigniter variare & mutare possunt, esse principales, atque adeo earum notitiã necessariã esse, ut aliqua actio sponte suscepta dicatur. Quænam autem & quot tales sint, ob infinitam actionum varietatem in genere definiri certo nequit.

XXIII.

Natura Inviti & Spontanei pro instituti nostri ratione sufficienter declarata quæstiones nonnullæ cognitu maxime dignæ adhuc proponendæ, & ex dictis dissolvendæ sunt: quæ quidem ab Aristotele hic & illic sunt inspersæ, nunc autem istis plene tractatis & expeditis forte melius solvi à nobis poterunt. Primo igitur quæritur, quando aut magni alicujus mali evitandi aut insignis boni consequendi gratia, aliquid vel agimus vel patimur, quod alias, absque illis finibus esset, neutiquam ageremus vel pateremur; utrum tale quid sponte an invitè susceptum esse dici debeat? V.g. si mercator oborta tempestate, & in præsentis naufragii periculo constitutus, pro sua aliorumque simul navigantiũ salute, navem exoneraturus pretiosas merces in mare aut ipse projiciat, aut projici mandet. Item si quis latroni necem intentanti pro vita redimenda ingentem pecuniæ summam solvat, aut se soluturum jurato promittat. Sic etiam si vir gravis & honoratus ad conjugem & liberos à Tyranno in captivitate detentos liberandos in medio foro saltet, aut aliud quiddam indecori suscipiat. De his, inquam, & similibus actionibus dubitari & quæri potest: num spontaneis an invitis actionibus debeant accenseri? Invitæ videri possunt ideo, quia tristitiam pariunt ac dolorem: quod indicium esse invitæ, sive ejus quod ab invito fit, non est obscurum, & non uno loco ab Aristotele notatum.



tum. Contra ad Spontaneas accedere videntur, quia plena circumstantiarum cognitio adest, & principium actionis est in ipso agente, nulla vi externa accedente, quantum quidem illius actionis exercitium attinet.

XXIV.

Ut autem tota res recte expediatur, notandum est, actiones illas diversimode considerari posse (1.) ratione objecti, unde substantiam suam potissimum accipiunt, & seorsim absque nonnullis circumstantiis determinatis: (2.) ratione omnium circumstantiarum, præsertim vero temporis ac finis, cuius intuitu suscipiuntur. Jam si priori modo considerentur, fatendum quidem est, neutiquam eas esse expetendas, quin poti<sup>9</sup> molestas atq; averfandas, invitissq; annumerandas. At vero si posterior consideratio locum habeat, tantum abest ut inter invitas referendæ sint, ut potius simpliciter spontaneæ optimo jure dici possint ac debeant. Nam uti se habet actio pro eo tempore, quo exercetur, & respectu finis, qui per eam intenditur, ita quoque denominanda est simpliciter. Jam vero actiones illius modi pro eo tempore, quo exercentur, & respectu finis, qui per eas intenditur, sunt spontaneæ. Ergo illiusmodi actiones etiam simpliciter spontaneæ denominandæ sunt. De Majoris veritate nullum dubium esse videtur. Nam actiones humanæ estimari & judicari debent secundum eam rationem, quam habent quando suscipiuntur. Minor etiam facile confirmatur ex definitione & natura spontanei jam satis declarata. Liceat autem illustrationis gratia in uno tantum exemplo rem considerare. Certe quando mercator naufragium metuens pro vitæ incolumitate merces suas in mare projicit, principium projectionis in se ipso habet: neque enim ab ullo cogitur, sed ipse instrumenta sua ad projectionem movet atque impellit. Deinde & singula cognoscit, in quibus actio illa versatur, in primis autem

C<sub>2</sub> quid



quid agat, quo tempore, & cuius finis gratia agat, probe no-  
vit, & ante secum perpendit, quam quicquam susciperet.

XXV.

Etsi vero hæc ita sint, quoniam tamen aliquid inviti  
adjunctum habere videntur tales actiones, etiam Mixtæ so-  
lent appellari, quasi scilicet de Spontaneo pariter atque  
Invito quiddam participant, sic tamen, ut de illo plus, de  
hoc minus: unde & Aristoteles lib. III. Nicom. c. I. ad Sponta-  
neas propius accedere recte pronunciat; cuius ipsa verba  
adscribi & hic legi merentur: sunt autem ista: *Mixtæ igitur  
hujusmodi actiones cum sint, spontaneis tamen magis sunt  
similes: quippe cum eligenda sint tum, cum aguntur, finis  
vero actionis in occasione sit. Et spontaneum igitur & invitum,  
quando id agit quisque, dicendum est: agit autem sponte:  
principium enim movendi instrumentarias partes in hujusmo-  
di actionibus in ipso est: at quorum principium in ipso est, ea  
agere vel non agere in ipso quoque est situm. Spontanea igitur  
hujusmodi sunt.*

XXVI.

Sunt autem porro mixtæ illæ actiones non unius ge-  
neris, & in IV. classes ab Aristotele rediguntur. Primi ge-  
neris sunt, quando quis magnarum atque honestarum  
rerum causa indecõri & molesti quidpiam subierit ac per-  
tulerit. Tale quid enim potius per ἀναγκαστικῆ ab Aristotele  
intelligi existimamus, quam quod revera turpe sit & vi-  
tiosum, cujusmodi tamen in exemplum hoc loco protu-  
lit doctissimus interpres Græcus Eustratius Archiepiscopus  
Nicensis, eapropter etiam cum ab aliis, tum à Cl. Scheur-  
leo Bibliographiæ moralis §. 67. & seqq. dudum repre-  
hensus. Recte igitur alius recentior Commentator No-  
tandum, inquit, *Turpia cum dicitur interdum patienda, id  
non debet ad scelera referri vel crimina: non enim ea commit-  
tenda*



tenda sunt pro quavis utilitate vel honestate. Sed tantum illa dicuntur interdum ferenda, quæ aliquam habent molestiam & fœditatem. Ut si magistratus jubeatur instar servorum per publicas plateas currere, aut stolâ muliebri publice uti. Tales autem actiones laudi dantur, & recte suscipi posse censentur.

XXVII.

Secundi generis actiones mixtæ sunt, cum quis nullius honestæ aut non adeo magnæ rei causa indecens quid atque aliàs à persona sua alienum admittit: quale est illud Aristippi, qui, cum Philosophum se esse profiteretur, à Dionysio Tyranno sivit se consputari, & alia indigna passus est, eoque nomine à Diogene Cynico falsè notatus, ac canis regius appellatus: ut legere est apud Laërtium in vita Aristippi. Hujusmodi facta vituperio verti & à gravibus morum censoribus improbari solent.

XXVIII.

Tertio contingit nonnunquam, ut à recti tramite quis deflectat, inque aliquam honestatis partem impingat, gravissimis tormentis, qualia vix quisquam pro humanarum virium ratione perferre ac sustinere queat, aut summa quadam necessitate ad id adactus. Ut si servus diu multumque excruciatu herum latitantem & ad mortem quæsitum tandem prodat. Tali facto veniam & excusationem dari communis fragilitatis humanæ consideratio ac respectus suadere imo jubere videtur.

XXIX.

Denique fieri potest, ut vel insignis cujusdam mali evitandi vel eximii boni consequendi causa talia patrentur, quæ prorsus impia sunt & cum nefario scelere conjuncta. De hujusmodi memorabilis est sententia Philosophi nostri, Lib. III. Nicom. c. I. ita scribentis: *Sunt autem fortasse nonnulla*



nulla ejusmodi, ut nulla vi aut necessitate coacti ea agere  
debeamus, potiusque nobis mors sit oppetenda, gravissimiq;  
eruciatus perferendi. Estq; profecto mirandum, in homi-  
ne Ethnico, ignaro scilicet eorū, quæ & qualia nos post ob-  
itum mancant, sive bona sive mala, tantū fuisse honesti a-  
more, ut mortem, qua tamen nihil horribilius esse ipse di-  
cit Lib. III. Nicom. cap. 9. potius obeundam esse censuerit,  
quam turpe quiddam committendum. Retulit illuc idem  
factum Alcmaonis, qui patris sui Amphiarai imprecatio-  
nibus perterritus matrem suam Eriphylem interfecisse fer-  
tur. Horrendum exemplum memorat alicubi Thomas Lan-  
sius, ex quo in suam aliquā disputationem de libertate, vo-  
luntatis nostræ in actionibus civilibus & rationi subjectis  
quondam transtulit Excell. Dn. D. Titius, unde nos etiā huc  
transcribem⁹: *Mediolanensis quidā, inquit ille, quē appellare  
nefas est, cum decennali odio furens, sapissime aucuparetur oc-  
casionem familiaris sui opprimendi, tandem humili gestu ac blan-  
ditis amoris redintegrationem simulans, aggreditur inopinan-  
tem, prosternit, & sica faucibus admota mortem minatur; hu-  
militer tamen veniam precanti hanc libertatis dicit legem, ut  
Deum immortalem ejuret. Ille miser ultima victus necessitate  
mox emgerit invitus & Deum detestabilem in modum exsecre-  
tur; & quominus simularet, execrationes saepius ex animo  
iterare ab adversario cogitur, & deinde statim confoditur,  
sicario ita postmodum gloriari auso: Et illa est generosa ul-  
tio, qua & corpori vitam eripiat & animo cruciatus allatu-  
ra sit sempiternos. Sunt autem tales actiones nulla venia  
aut misericordia dignæ, sed omnino turpes & reprehen-  
dendæ, cum nulla vis, nullus dolor, nullus metus, nedum  
spes alicujus boni obtinendi tantum valere debeat, ut pietas  
ac honestas iis posthabeatur.*

Deinde



## XXX.

Deinde circa hanc doctrinam quæsitum cognituque dignum occurrit, an illi qui objecti alicujus insigni pulchritudine ac jucunditate allekti aliquid agunt, quod non de- cet, inviti id egisse dici debeant ac possint. Causam du- bitandi præbet, quod pulchra & jucunda, quorum intuitu actio est suscepta, extra agentem posita sunt, & aliquam extrinsecus necessitatem afferre videntur: quod etiam ta- lem actionem poenitentia dolorque subsequi consuevit, u- ti in incontinentibus conspiciere datur. Verum hæc tanti non sunt, ut affirmativè respondendum esse persuadere ne- dum evincere possint. Nam ille demum coactus, invitus- que aliquid agere existimandus est, qui à principio exte- no sic impellitur, ut vim ejus amoliri nequeat, licet omni- bus modis reluctetur. At vero ad eum modum res compa- rata cum eo non est, qui ab objecti jucunditate ad agen- dum allicitur: cū in ejus potestate fuisset, nō adeo vehemen- ter allici & permoveri, aut saltem non habere vitium aut pravam appetitus dispositionem, abs quâ fuisset; etiam per- turbatio, vel omnino non exstitisset, vel in actum non eru- pisset. Tum vero etiam, qui coactus invitatusque agit, si ta- men agere recte dicitur, contra animi sui inclinationem a- liquo cum dolore agit, malletque omnino, si per ipsum sta- ret, intermittere actionem, quippe à qua toto animo refugit. Sed quomodo hæc accommodari possunt ei, qui ob fruitio- nem pulchræ ac jucundæ rei aliquid agit? Certe tantum ab- est, ut molestia ac dolore afficiatur, ut potius magno animi prolubio in id, quod cupit, feratur, summamque percipiat voluptatem, tum saltim cum in agendo versatur.

## XXXI.

Quod vero attinet dubium de incontinentis actione, quam nimirum poenitentia & dolor, consequi solet, id sane  
 D ipse



ipse Philosophus Lib. 2. ad Eud. cap. 8. & movit, & solvit  
distinguendo inter totum animum ejusque partes, ratio-  
nem videlicet & appetitum. Quarum cum una alteri non-  
nunquam adversetur, ea quæ vincitur & supprimitur, vim  
pati & quodammodo invita agere videtur. Quæ tamen vis,  
si modo ita dici meretur, dolorque illam consecutus, non  
obstat, quo minus totus animus, aut potius ipse homo spon-  
te agere dicatur. Libet autem plenioris explicationis er-  
go nonnulla Philosophi verba adscribere. *Incontinens gau-  
det ille quidem, dum fruitur hac sua incontinentiâ, re optata:  
sed & dolore afficitur, quippe qui metuat necessario propter  
conscientiam malefacti. Itaque dicere, vi utrumque agere,  
à ratione non est alienum: uterque enim, si spectes in altero  
appetitum, in altero rationem, agit invitus. Nam cum divi-  
sa sint hæc duo, alterum ab altero extruditur. Quoniam au-  
tem in aliqua animi parte id manifestò contingit, solet id ad to-  
tum animum transferri. Atque de partibus quidem ejus dici  
id potest: caterum animus totus tam incontinentis quam con-  
tinentis sponte sua agit: vi vero neuter: sed aliquid tantum  
quod ipsis inest: utrumque autem eorum, quæ pugnant in vi-  
cem, à natura habemus. Quæ cum ita sint, ridiculum fuerit, ea  
quæ extra sunt accusare, non se ipsum potius, qui à talibus faci-  
le capiatur: & rerum quidem honestarum in seipsum, turpi-  
um in jucunda causam conferre, ut hæc quoque Philosophi  
verba ex lib. 3. Nicom. cap. 1. nostra faciamus.*

XXXI.

Denique de alio actionum genere adhuc dubitari po-  
test, quonam referri, quoque nomine apte possint ac debe-  
ant appellari. Fit nimirum, ut quis facti sui aliquam eamque  
haud parvi momenti circumstantiam ignoret, edatque  
proinde longe aliam actionem quam sibi proposuerat: por-  
ro autem contingit, ut idem tota re comperta non tan-  
tum



tum non doleat, aliquid secus, atque putaverat, gestum à se esse, verum etiam ita evenisse, licet præter animi sententiam, in sinu gaudeat ac lætetur. Qualis actio foret, si quis feras in sylvis sectatus hostem in dumeto latitantem, aprum esse existimans, glande plumbea trajectum interficiat. Sane talis actio cum veris suis circumstantiis considerata neq; ad invitam neque ad spontaneas commode posse referri videtur. Non esse invitam per vim, satis clarum est & extra dubium positum: quod verò etiam non sit invita per ignorantiam, ex eo ostenditur, quoniam, ceu supra constitutum, ad talem actionem poenitentiam & dolorem subsequi, atq; adeo saltem consequenter voluntati & inclinationi agentis adversam esse oportet. Neque tamen spontaneis accensendam esse hinc patet, quia ad tales actiones requiritur, ut omnes, saltem præcipuas, circumstantias cognitatas habeat agens: earumque intuitu ad agendum se accingat. Quæ tamen requisita illinc abesse satis est manifestum. Quando igitur neque spontaneæ sunt tales actiones, neque invitæ, quorsum pertineant, non immerito nunc quæritur. Est autem & huic quæstioni ab Aristotele L. 3. Nicom. cap. 2. satisfactum: cuius hac de re verba sic habent. *Qui per inscientiam aliquid egerit, neque ex ea actione dolore afficiatur, sponte ille quidem non egit, ut pote quod nesciebat; neq; rursus invitatus, quippe qui dolore non afficiatur. Eorum igitur, qui per inscientiam agunt, is quem facti poenitet, invitatus egisse videtur; quem verò non poenitet, quoniam alius est ab illo, egisse non sponte dicatur. Satius est enim hunc, quando quidem differt ab altero, nomen proprium habere. Nimirum quoniam ob allatas rationes is, qui dicto modo agit, neque verè invitatus, neque etiam prorsus sponte, id fecisse dici potest, mediæ cujusdam & de utroq; participantis naturæ eum esse, & discriminis causa propria appellatione insigniri posse, Philosophus rectè existimavit. Agens igitur neq; ἐκὼν neq; ἀκὼν sed ὅχ ἐκὼν, ipsum autem factum nec ἐκδοτικὸν nec ἀκδοτικὸν sed ὅχ ἐκδοτικὸν dicetur.*

F I N I S.




[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 20 horizontal lines across the page.]















110

Disputatio Philosophica

DE

# INVITO ET SPONTANEO

QUAM

D. O. M. A.

Præside

## ANDREA FRÖLINGIO

PHIL. MAG. ET LOGICES PROFESS. ORDINARIO

PRÆCEPTORE ÆTERNUM VENERANDO

IN JULEO MAGNO

AD DIEM XII. JANUARIJ,

PUBLICO EXAMINI

SUBJICIET

JULIUS ANDREAS GÜNTHER

SCHONINGENSIS.

AUTOR ET RESPOND.



HELMESTADII,  
Typis Jacobi Mülleri.

ANNO MDCCC LXVII.

